

II. Britann. B  
167

Ilist. Britann.  
B.  
167

Hist: Britann:  
A.) Hist: Anglia, 742. 175.

5

SERENISSIMÆ ATQUE  
POTENTISSIMÆ  
DOMINÆ,  
**A N N A E,**  
MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ  
ET HYBERNIÆ  
**R E G I N A E,**  
DEFENSORI FIDEI, &c.  
DOMINÆ SUÆ LONGE CLEMENTISSIMÆ,  
DE FELICISSIMA  
**A N G L I A E ET S C O T I A E**  
**U N I O N E,**  
A. M DCC VII, DIE XXVI JUL. SEU VI AUG.  
QUI EST IPSE DIES  
**A N N A E,**  
PUBLICÉ  
PRÆSENTIBUS ILLUSTRISSIMIS ATQUE  
EXCELLENTISSIMIS SUMMORUM PRINCIPUM  
ET RERUM PUBLICARUM LEGATIS,  
IN  
TEMPLO ACADEMICO  
PIA AC DEVOTA MENTE,  
NOMINE  
**A C A D E M I A E L I P S I E N S I S,**  
GRATULATUR  
JO. BURCHARDUS MENCKENIUS,  
J. U. D. HISTOR. PROF. PUBL. ET SOCIET.  
REGIÆ BRITANNICÆ SOCIUS.

---

L I P S I A E,  
Apud JO. FRIDER. GLEDITSCH.

# СЕРЕНІСІСІМДЕК АДЫГА

# ЗАМЕЧАНИЯ

# БАИМОД

# СИАНИА

# MAGNIFICENT BRITAIN

# АИЛЯНС Н ТЭ

# АИДАЯ

ДОБРОЖЕЛІСТІВСЬКА

DOMINA SUA LONGE CLEMENSIS.

# ЭТООЗ ТЕ КІДИА

## ЭИОИ И

DUA ET UER. IUR. INXX EIG. AN 2001 M.

CELESTE MUS.

ЭПОТА ЗМІССІЯТЫНІ МІСІЯТИНДЯ

# СОИМЭДА ОЛЯМЭТ

# СЕМІЯ ПІД ВАЛІВ СЛАДА

~~СИДАРЫ МАКЕНИ~~

### **Von 110 TIGI DER ERGÖTZCH**



PAR ODARUM,  
IN  
U N I O N E M  
A N G L I Æ E T S C O T I Æ ,  
P U B L I C E

D E C A N T A T A R U M .

Que in hanc septendecim menses  
Mille annis inquit annis, Tunc dicitur tamen  
Rebus secundis, quod sunt  
Iustus postea unde dicitur  
Tunc dicitur, id est  
Clementis filii, reddita bona ex parte  
Alius opus pax ut missio loco  
Hoc regis sexti, magnus  
Hic postea excommunicat multas



## ODA I.



, Fama, pennas induit præpetes,  
Magnumque pernix æthera divide,  
I, dic Eoi Vesperoque: (tur.  
Scotia & Anglia jam uniun-

Lætus sub undis hinc Thameſis Pater  
Fluctus ovantes jactat ad æthera,  
Sedesque cœlestes inundat,  
Lætitia resonatque littus.

At dira Erynnis, Livor & anxius  
Rebus secundis, Iraque dissona,  
Terras perosæ nunc quietas,  
Tartareaſ repetunt cavernas

Clamore tristi, reddit a quod quies,  
Atque alma pax sit mellifluo solo,  
Hoc pectus exurit, medullas  
Hic dolor excruciat nigrantes.

*Tu, Terror ingens, Fulmen & hostium,  
Tu, gentium Spes, ANNA BRITANNICA,  
Tu, Sol, caloris vi resolvis  
Martia pectora, quæ gubernas,*

*Ut nunc in unum corpus & unicam  
Gentem refundas, nempe BRITANNICAM:  
Tu nunc polum torques, ut unum,  
Fæmineis humeris utrumque.*

*O fædus auro ac ære perennius !  
O fædus almum, sidera quod stupent,  
Æternitas quod fert ad astra,  
Flammiferaque domo reponit !*

*Quæ moliuntur sceptriferæ manus  
Multorum iniquo fædera sidere,  
Te, Te, Britannorum beatum  
Jam Caput, icta videre fas est.*


*Miretur ætas funera Galliæ,  
Camposque stratos ossibus hostium,  
Victorias ANNÆ, tropæa &  
ADID Innumeros stupeat triumphos :*

*Te, Te, stupemus, Magna Britannia,  
Quam filiam das, ANNA BRITANNICA,  
Partu secundo, quod salutes  
Herculeum, haud muliebre germe.*

*Ortu senescunt Lilia sideris,  
Mittuntque terras altivolans caput,  
Hunc pollicem Natæ verentur  
Terrifici magis ense Martis.*

*I, scande Olympum, SEMIDEUM GENUS,  
Curruisque Phæbi, DIVA, celerrimos  
Post Te relinquas, o VIRAGO,  
Sidera sub pedibusque calces.*

*Nec sperne flores, flaccida munera,  
Quæ DIVÆ eunti tecta per aurea  
Spargit, rosæ cum absint, revulso  
Ex philyra Philyrea Mater.*



*ANNA BRITANNICA*

*SERENISSIMA AC POTEN-*  
*TISSIMA*  
**REGINA**  
**DOMINA LONGE**  
**CLEMENTISSIMA**

**A**d MAJESTATIS TUÆ pedes,  
REGINA AUGUSTISSIMA, proolutam re-  
spice Academiam, nec sperne sacra, quæ immortali  
Nomini TUO, divinæ gloriæ TUÆ incredibili  
admi-

admiratione excitati, castissima religione cultuque de-  
votissimo offerre conamur. *Est enim Nomen TU-*  
**UM, POTENTISSIMA PRINCEPS,**  
tam ob necessitudinem cum REGE NOSTRO  
**CLEMENTISSIMO,** quam infinitas alias ob  
causas, Musis nostris, e calamitatum mole vix quidem  
respirantibus, sacrosanctum; TE cœlo veluti demis-  
sam, cuius auspiciis pax orbi terrarum atque tranquil-  
litas tandem aliquando reddatur, omnes intuemur  
pariter atque veneramur. *Quot & quanta sum-*  
*mæ virtutis jam documenta dedisti, cum rerum nutu*  
**TUO** gestarum ea magnitudo sit, ut vel ipsius Cæsa-  
ris atque Augusti, ac omnium, quotquot prisca sæcula  
tulere, heroum res præclarissime gestæ **TUARUM,**  
**INVICTISSIMA ANNA,** splendore quo-  
dammodo obscurari videantur? *Testis est Danubius,*  
qui magnis oppressus hostium copiis, eorum sanguine re-  
dundavit, quoque adeo victoricibus TUIS armis ab in-  
tentata Gallorum vi liberato, patria nostra ab interne-  
cione vindicata, & in pristinum statum pristinamque  
libertatem est restituta. *A Neque vero Germania so-*  
*lum, sed etiam Italia, Hispania, Flandria, Brabantia,*  
ipsaque maria victoriis TUIS illustrata sunt, bellicas-  
que incomparabilis **HEROINÆ SUÆ laudes**  
*cele-*

celebrant tropæa ac monimenta, per regiones passim  
constituta, quæ nulla unquam conficiet consumetque  
vetustas, posterique cernentes obstupescunt. Et hæc  
quidem magna sunt, sed tamen longe majus est illa po-  
tentissimorum Angliæ atque Scotiæ Regnorum confo-  
ciatio, tantum certe negotium, quod successurum, cum  
fusceres, vix sperari poterat; nihilominus pro summa,  
qua polles, sapientia, ipso Divino Numinе vota TUA  
prosperante, ex animi sententia haud ita pridem confe-  
cisti. Hæc certe res est unius propria ANNÆ,  
cum ceteræ consilio TUO & auctoritate gestæ, ma-  
gnæ illæ quidem, sed ita tamen comparatæ sint, ut in  
gloriæ societatem fœderatos, duces, militesque admit-  
tere videaris. Postquam igitur præclarissima illa  
vox in nostras etiam terras penetravit, qua Fœderis  
hujus auspicatissimum diem maximis stupendisque vi-  
ctoriis jure TE anteponere sapientissime pronunciasti;  
nos gloriæ tam raræ admiratores attoniti, & ob pa-  
triæ salutem nobis conservatam, Augusto Nomi-  
TUO æterna obsequii lege obstricti, religionem no-  
stram submissa congratulatione publice ausi sumus de-  
clarare. Adspice igitur, REGINA CLEMEN-  
TISSIMA, pietatem, TUA autem ista tam excel-  
lenti virtute gaude, Regnoque TUO ad DEI nutum  
jam-

ACADEMIA IPSIENSIS

*jam constituto, mox etiam, quæ omnium curarum TIBI  
antiquissima est, universæ Europæ pacem concordi-  
amque redintegra atque confirma, atque, rebus adeo  
compositis, summo fruere otio & tranquillitate. Ita  
DEUS Immortalis TE, AUGUSTISSIMA  
PRINCEPS, ORBIS AMOR AC DE-  
LICIUM, SERENISSIMUMQUE ET  
CELSISSIMUM CONJUGEM, publico so-  
latio diutissime servet, votaque exaudiat, quæ pro per-  
enni felicitate VESTRA sanctissime nuncupat*


**SACRATISSIMÆ MAJESTATI TULÆ**

*devotissima*

**ACADEMIA LIPSIENSIS.**



ILLUSTRISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI  
L E G A T I,  
RECTOR ACADEMIÆ MAGNIFICE,  
*UTRIUSQUE REIPUBLICÆ PROCERES*  
*AMPLISSIMI,*  
TUQUE CIRCUMFUSA STUDIO-  
SORUM CONCIO.



Em arduam & longe superiorem  
viribus meis aggredior, de Poten-  
tissima MAGNÆ BRITANNIÆ  
REGINA ANNA, ejusque pru-  
dentissimis consiliis & successu  
auspicatissimo coram tot primi  
ordinis viris, hoc ipso die, quo tantæ REGINÆ No-  
minalia Sacra multiplici plausu lætitiaque incredibili  
celebrant Britanni, publice verba facturus. Nun-  
quam enim illustriorem Academia nostra Panegy-  
rin instituit, nec facile quisquam hoc in loco tanto  
omnium hominum concursu locutus est, denique  
vix unquam (quod citra jactantiam dictum esto)  
vel major in oratore voluntas, vel in auditoribus ex-  
pectatio fuit. Res ipsa vero, de qua, hoc cumpri-  
mis

mis tempore, dicere suscepimus, ita comparata est, ut nihil humile, nihil mediocre, verum excelsa, sublimia, immensa omnia postulet. Et quis sperandus orationis meæ finis esset, ubi singularum, quæ SERENISSIMÆ REGINÆ insunt, virtutum ornamenta & facta ejus pulcherima atque æternitate dignissima adumbrare, nedum gravi & ponderosa oratione eloqui & exprimere cupiam? Nam cum ceteris Britanniæ Regibus, sanctissimis atque prudentissimis Principibus, nunquam invidia ita pepercit, quin quasdam illis maculas adspergere tentaverit, sola ANNÀ, virtutibus, quæ hominem formant, ornatissima, humanæ fortis terminos in eo fere videatur transgressa, quod ne comminisci quidem quisquam audeat, quo aut sinceræ pietatis aut summæ prudentiæ gloriam dubiam ipsi reddat. Illa, illa est, quæ, inter difficillimas fluctuum procellas plus quam virili alacritate concendens navem Reipublicæ, tanta & sapientia & felicitate eam regit & gubernat, ut, sublatis domi tot feralibus discordiis, omne discrimen omnemque metum longissime averterit. Illa, inquam, est, quæ invidendam ac universæ Europæ prope exitialem Hostium potentiam concussit ac fregit, ut non daturi posthac, quod minati sunt, sed accepturi leges videantur. Quæ dum memoro, bone Deus, quam latum spatiolumq; ingredi or differendi campum! Magnus sane erat WILHELMUS, qui fortissimas Britonum phalanges in Hyber-

zim

A N G L I A E E T S C O T I A E.

berniam, in Belgium traduxit, & acerrimos hostes cum acie superavit, tum maxime frænavit & inhibuit: major A N N A, quæ, ut pacato domi imperio fruitur, ita ingentes exercitus in Belgium, Germaniam, Lusitaniam, Hispaniam & Catalauniam trans mare mittit, ut taceam, ejus etiam auspiciis Hassos, Borussos, Sabaudos ad Eridanum & Varum, Danos ad Danubium, ad Rhenum Saxones militare. Illud vero prorsus etiam exemplo caret, eoque laude & prædicatione dignum cum primis est, quod, cum plures Principes nihil æque curare consueverint, quam ut paulatim augerent Regios redditus, ingentesque auri acervos, quibus vel pabulum libidinibus suis, vel auctoritati firmamentum quærunt, variis artibus congererent, A N N A sola sibi sufficiens nec expetit usquam pecunias in privatos usus, & e proprio æratio largissime quotannis in publicam rem effundit, eam demum tutam credens & vere firmam potentiam, quæ non minus utilitate, quam libertate civium suffulcitur. Quæ pulcior unquam aut laudabilior Principem inter & subjectos æmulatio fuit? Hi facultates suas opesque omnes, ubi e re fuerit, sponte & ultro magna animorum alacritate promunt, tradunt, consecrant: illa, nulla in parte gente sua tardior aut remissior, ipsa necessitati suæ tanto plus indies detrahit &, prope dixerim, abradit, quanto longius sua commoda saluti Reipublicæ postponit. Jam prudentiæ in hac Regina nullum est luculentius indici-

B um,

## ORATIO DE UNIONE

um, quam, quod illorum consiliis utitur, qui nisi ad ministerium tantæ Principis adlecti essent, digni fane forent ante alios, qui adlegerentur. Quæ res sola, si nihil esset aliud in Augustissima Regina magnopere prædicandum, ut sunt infinita, eam reddere videtur immortalem; neque enim ignorat quisquam, quantum intersit Reipublicæ, eos esse Regiorum consilio-  
rum administratos, quos prudentiæ, honestatis & hu-  
manitatis opinio tuetur. Et sunt hæc quidem ma-  
gna, imo maxima, neque tamen omnia. Nam cum  
multo plura brevitatis causa prætermittenda mihi fuerint, ad istud nunc venio, Auditores omnium ordi-  
num honoratissimi, cuius causa ego hanc cathedram  
& Vos, quæ video, subsellia occupavistis. Rem  
enim miraculo similem, ac supra spem omnem atque  
expectationem positam, nuperrime perfecit Poten-  
tissima Britonum Regina, ubi Anglos Scotosque,  
animis, legibus, utilitate, vita denique ipsa & mori-  
bus alienissimos, æterno foedere sociavit. Quantum  
ex hac re emolumenti ipsa Magna Britannia, Reges,  
Populi, tum vero Europa prope universa, imo ipsa  
relligio promittere sibi valeat, vident prudentiores  
omnes. Neque etiam non videt alma nostra  
Academia, quæ hanc illustrem submississimi, quo tan-  
tam Reginam eminus prosequitur, amoris cultusque  
declarandi occasionem e manibus dimittere noluit.  
Utinam vero me disertiores tantæque rei parem,  
elegisset Oratorem! Etenim facile quidem patior,  
plures

plures de me sic sentire, quasi quovis modo Gentem  
hanc virtutesque & famam tantæ Reginæ ad cœlum  
usque laudibus extollere cupiam; nec ignorant, qui-  
buscum qualiscunque mihi intercedit amicitia,  
quantam capere voluptatem soleam, quoties de  
Anglis sermo incidit, qui me hospitem innumeris be-  
neficiis affecerunt, & immerentem ad illustrem &  
vere Regiam Societatem aliquot abhinc annis admi-  
serunt. Verum & debilior ingenii mei acies ad al-  
tiora hæc minus pertingit, quippe quæ alii, quibus e  
meliori luto finxit præcordia Titan, multo accuratius  
perspiciunt, & oratio mea serpens ac humilis ad exor-  
nandum, ut par est, tam eximium argumentum pa-  
rum idonea est. Ne tamen vel veneratione erga  
incomparabilem **A N N A M**, in quam nondum,  
Reginam nunquam sine subiectissima animi demis-  
sione oculos convertebam, quod nescio, quid ma-  
gnum de illa jam tum mens mihi mea præsagiret,,  
vel obsequio erga almam matrem Academiam,,  
cui repugnare nefas, defecisse videar, non invitus,  
quam mandatam mihi video provinciam, in me su-  
scipio. **Quod si vero etiam Vos, ILLUSTRIS-**  
**SIMI LEGATI, & Auditores reliqui, quorum**  
præsentia animum mihi addit & tantum non inspi-  
rat, benevolentia & affectu brevem orationem me-  
am prosequi velitis, id quod submisse & decenter  
contendo, non plane umbraticus mihi videbor aut  
indisertus.

Quan-

Quandoquidem inde a prima rerum omnium creatione, Auditores honoratissimi, Angliam Scotiamque unam Insulam fecit nulloque limite distinxit, supremus rerum arbiter & stator DEUS, nihil magis conveniebat, quam ut Regna ista perpetuo foedere, conjuncta essent, atque uni Regi ac Domino, unis legibus parerent. Enim vero aliter visum his populis, qui, ut sunt homines plerumque ad inimicitias multo magis scissionesque & similitates, quam ad unionem & concordiam natura proclives, res a se invicem separatas habere a multis seculis maluerunt, & finibus subinde cæde & sanguine pollutis, alter alterius commodis, facultatibus, vitæ perpetuo fere insidiati sunt. Evidem & olim EDUARDUS I Rex Angliæ eo totis viribus allaborabat, ut Scotiam armis subactam Angliæ demum uniret, & beata sibi visa est hæc regio, postquam non tantum sub HENRICO VII rosæ, verum, quod frustra hactenus tanto bellorum apparatu fuerat quæsitum, vicina Regna potentissima sub JACOBO I fuissent pacato imperio conjuncta, quod, ut illic intestina, ita hic externa odia crederentur penitus sopita. Nec omisit quicquam JACOBUS, quod ad firmandam stabiliendamque unionem pertineret: neque enim antea cum Familia Regia urbem Londinum solenni pompa ingressus est, quam vetustum & a longo tempore inauditum MAGNÆ BRITANNIÆ nomen esset quasi postliminio reductum. Hinc publice, etiam

ANGLIÆ ET SCOTIÆ.

etiam voti sui indicium fecit Rex, insertis numismati verbis: FACIAM EOS IN GENTEM UNAM; & præterea in ipsis Regni Comitiis operosa & pereleganti oratione demonstravit, quantum interesset, cum unum caput Anglis Scotisque præfit, eosdem uno pariter Reipublicæ corpore contineri; Regem mariti loco esse, quem haud deceat plures sibi connubio jungere uxores. At non deerant, qui Regem publica minus, quam sua co*m*oda & supremum quendam nullisque finibus circumscrip*tum dominatum in unione ista*, // quærere existimabant, cui rei, si quicquam augurari licet, invidiosa IMPERATORIS M. BRITANNIÆ & CÆSARIS CÆSARUM nomina in publica moneta conspicua fidem faciebant. Itaque nihil magnopere urgere hanc unionem, nullumque ex ea emolumen-tum ostendi assiverabant, Regna vel victoriarum cursu, vel connubiis conjungi, novi Regni institutio-ne alterius antiquioris memoriam extingui, magnas ea re perturbationes in negotiis, in comitiis con-vocandis, in sigillis, munerum publicorum distin-Ectione, legibus ac constitutionibus faniendis, li-bertatibus, privilegiis, curiis, actis publicis, privato-rum contractibus consecuturas: indignum esse, mutari nomen Anglicum eo tempore percelebre cum Britannico nimis obsoleto, totque victorias ab Anglis terra marique partas una cum nomine obscurari: idem nomen Scoto semper olim sine controversia præivisse, nunc, Britannico assu-mpto,

C

pto,

pto, si non priorem, parem certe Scotis locum con-  
cedi, id Anglis minime placitum, qui antiquo  
nomine gaudeant, & ominosum ducant, abolita  
prisci temporis memoria, per novas agnominatio-  
nes præpostera ambitione majorum gloriam obfu-  
scari. Alii, non eadem, quæ nova, periculosa  
omnia, Regique in re tantilli momenti haud esse  
pertinacius repugnandum, contendebant: uno no-  
mine mutato, tolli infinitas rixas atque inimicitias:  
neque ipsi rerum naturæ adversari id generis muta-  
tiones; nam & rivulos, cum fluminibus, & flumi-  
na, cum Oceano illabuntur miscenturque, abjice-  
re nomina sua vel mutare. Post multa acrius di-  
sputata ad extremum pervicit au&toritas Regis, ut  
MAGNÆ BRITANNIÆ vox reciperetur, eoque ar-  
etiori, si fieri posset, Regnorum conjunctioni veluti  
præluderetur, crucibus etiam Sanctorum Georgii  
& Andreæ in vexillis navium intermixtis & num-  
mis aureis argenteisque in vulgus sparsis, quibus  
QUÆ DEUS CONJUNXIT, NEMO SEPARET:  
HENRICUS ROSAS, REGNA JACOBUS: TUEA-  
TUR UNITA DEUS! & similes sententiæ inscriptæ  
legebantur. Enimvero inane nomen unionis erat,  
cum re ipsa inveterata & gravissima odia exerce-  
ret interea utraque natio; quamobrem triennio  
post eadem res in publicis regni Anglicani comitiis  
a Rege denuo proposita, magnaue animorum con-  
tentio-

tentione a Proceribus agitata fuit. Negotiosam, imprimis ac molestam provinciam Franciscus Baco suscipiebat, vir in tantum laudandus, in quantum patet civilis prudentiae & variæ eruditionis amplissima commendatio, qui, cum in inferiori Regni Senatu primo gauderet suffragio, Regis causam tuendam pro virili suscepit, viam sibi ad splendidissimum, quod postea nactus est, Cancellariatus munus aper-turus. Quamobrem omne ingenium, virtutem, eloquentiam, quam totam possidebat, eo contulit, ut civibus suis e re esse persuaderet universæ Britan-niæ, non minus Scotos Anglica, quam Anglos Sco-tica civitate donari. Verum frustra hæc omnia fuere: alii enim ipsa sæpius fœdera atque unio-nes vel ingentium bellorum vel multorum certe dissidiorum causas extitisse adfirmabant, exem-pla Abrahami & Loti urgentes, qui, cum familias omnemque rem domesticam univiscent, in alterca-tiones inciderunt, his invicem verbis sibi valedicen-tes: VADE TU AD DEXTRAM, ET EGO AD SINI-STRAM. Alii male auctum cum Anglis contendebant, si, cum soli bonis suis frui possent, alienigenas fove-re, & ad partem eorum, quæ ipfis solis natura indul-sisset, admittere sponte atque ultro velint. Quem-admodum enim arbor, ubi e sterili in pinguem a-grum transfertur, mox tollitur in altum, lateque suas explicat frondes, vicinisque plantis clam ner-vum

vum omnem subducit, ita Scotos, ajebant, indigen-  
tiores Anglorum opes & divitias paulatim absorptu-  
ros, ipsisque eorum pastos medullis pulchre fruitu-  
ros aliena desidia. Etsi vero ad hæc prudentiores re-  
sponderent, stipitem truncumve inertem ne quidem  
in optimo solo efflorescere, sic Scotos, nisi sapien-  
tiam & virtutem opesque secum afferant, lucraturos  
omnino nihil: vicissim autem & ex Anglia multos,  
quibus angustior videatur patria, in Scotiam emi-  
graturos, cultumque & splendorem allatueros locis  
desertis: communem postremo omnium utilita-  
tem, communem fructum futurum; tanta tamen  
erat animorum æmulatio, tantum divertium, ut quo  
quis plura, quo potentiora ad persuadendam unio-  
nem argumenta afferebat, hoc pejus crederetur ani-  
matus in Rempublicam. Obstinatum enim Scotis, //

dignitatem Imperii sui a tot seculis fartam te&tam-  
que servatam usque tueri, suis Regibus, suis etiam  
institutis ac legibus uti: Angli autem eos, quorum  
nulla erga se benevolentiae, odii contra & invidiæ  
longe plurima extarent documenta, penes se jure ci-  
vitatis, privilegiis, omni denique felicitate libere frui,  
supervacaneum non tantum, verum & noxiū esse  
affirmabant. Ne tamen nihil prorsus egisse vide-  
rentur, qui ad eam rem componendam delecti es-  
sent, demum unionis formulam certis legibus con-  
ceptam descripserunt, quas inter præcipuam hanc  
Auctores memorant: NE GENTIBUS IRARUM

AC

AC DISSIDIORUM CAUSÆ SUPPETANT, UTRIN-  
QUE HOSTILES LEGES OMNES SUBLATÆ AT-  
QUE ABROGATÆ SUNTO. Et erant sane etiam,  
illo tempore vultures rapaces, qui transgressi subinde  
Scotiæ fines rapinam exercebant, &, ne deposuisse  
vetera odia viderentur, impune in vicinos Anglos  
grassabantur. Quam rem annon aptam judicatis,  
Auditores, quæ cuncta J A C O B I Regis consilia  
everteret, imo prosterneret pessundaretque? Ex eo  
tempore si potentissimi Angliæ Reges non nimis  
fuere de unione procuranda solliciti, non voluntatem,  
sed vires, sed fortunam defuisse persuasus sum.  
Quanquam incertum videatur, utrum hoc gentium  
dissidium sequentibus temporibus majori damno  
**C A R O L O I**, an utilitati **C A R O L O II**,  
Regibus, fuerit, neque enim ille in tantas calamita-  
tes pertractus, neque hic in Angliam unquam fuis-  
set reversus, si, utramque gentem arctiori vinculo  
contineri, fata voluissent. **W I L H E L M U S III**  
vero, optimus Princeps, Angliæ imminentे servi-  
tute depulsa, patrio cultu stabilito & confirmato,  
hostibus fugatis, perduellibus punitis, commerciis  
instauratis, nihil deesse ad felicitatis suæ cumulum  
censebat, quam firmissimam Angliæ Scotiæque  
conjunctionem, totusque eo allaborabat, ut ea Re-  
gna mature coalescerent. Proinde ne alterius gen-  
tis erga se odia provocaret, utramque pari affectu  
prosecutus est, suis utramque legibus moribusque

D

vi-

vivere passus, atque sic omnes mire sibi devinxit. Et successisset utique, quod in votis erat, W I L-  
H E L M O, nisi monstrasset terris hunc tantum  
Numen, in medio quippe rerum maximarum conatu  
mortalibus ereptum; quanquam nec eruptus prius  
est, si famæ credimus, quam A N N Æ augustinissi-  
mæ, cui soli hanc gloriam servatam voluit D E U S  
immortalis, unionem Regnorum ultima quodam-  
modo voluntate demandasset. Etenim non sine  
singulari Divini Numinis providentia factum esse  
reor, ut rem toties nequicquam a majoribus tenta-  
tam, quin tot tantisque difficultatibus involutam, ut  
de felici successu ipfi etiam viri prudentiores dubita-  
verint, in ipso bellorum gravissimorum strepitu, pa-  
cate & ex voto perficeret felicissima REGINA. Sci-  
licet non satis erat, sub ejus imperio res præclaras  
& fidem propemodum superantes terra marique ab  
istis belli fulminibus, *Ormondio & Marlepyrgio*, ge-  
stas; non satis erat, sublata penitus eorum inveterata  
& fatalia nomina, qui utilitatem Regis a salute Rei-  
publicæ separari posse censuerunt; nec satis erat de-  
nique (quis enim laudes omnes enumerare ausit?)  
hæredem dictum fuisse publicaque tabula confirma-  
tum, qua in re A N N A, quæ rara est Principum  
cura, etiam, ut posteris bene esset, prudenter prospe-  
xit. Hoc unum ad gloriam decusque & famam  
optimæ REGINÆ restabat, ut Anglos Scotosque in-  
ter se non tam componeret, quam jungeret penitus  
&

& velut Chymicorum in morem commisceret. Quia in re promovenda nullum fuit efficacius præstantiusque argumentum, quam quod persuasissimi essent, omnes, non posse quicquam moliri ANNAM, quod vel prudentiæ legibus, vel saluti Reipublicæ adversaretur. Nec poterat illa profecto luculentiorem nancisci monstrandæ virtutis occasionem, cumque tanto plus laudis victori tribuendum sit, quanto pertinaciorem habuit adversarium, magnas utique laudes, imo maximas, debemus huic REGINÆ, quæ tot obstacula, tot technas felicissime superavit. Erant qui unioni totis viribus obstreperent, ut nunquam desunt, qui, rem suam publicæ anteponentes, optima quæque consilia pervertunt, ut in turbido piscari queant. Et nihil forte omisit plurium discordiarum auctor & fautor Gallus, quod ad eam impedie~~dam~~ faceret. Neque tamen inferior, in illis, qui contrariam sententiam tuebantur, fuisse plures, qui, et si a REGINA & Republica nequaquam essent alieni, tamen, nescio quid periculi metuebant. Quem vanum fuisse metum, mox apparuit, cum iidem, qui paulo ante coram R E G I N A & Senatu Regni unionem modis omnibus oppugnaverant, ea demum, facta, conceptissimas REGINÆ gratias decernerent. Ita MAGNÆ BRITANNIÆ populis idem nunc est Regnum, idem Jus, idem Vexillum, idem Commerciū, idem Senatus, idem Sigillum, idem denique monetæ, mensuræ atque ponderis usus. O rem dignam

POET

dignam prædicatione, dignam plausu & multo tri-  
pudio! Id quod, præter unam **A N N A M**, spe-  
rabat nemo, desperabant tantum non omnes, eve-  
nit postremo Divini Numinis gratia, R E G I N Æ pru-  
dentissimæ ope, consilio, virtute, ut hinc liceat,  
haud difficulter ominari, nihil eam posthac suscep-  
pturam, quod idem non fit felicissime successurum.  
Equidem fateor, in legibus adhuc aliquid discrimi-  
nis superesse, cum exiguo hoc temporis intervallo  
haudquaquam condi potuerit novum quoddam  
Juris Corpus, quod Anglis Scotisque commune  
esset, quorum, si minus leges scriptæ, consuetudi-  
nes certe haud parum inter se discrepant. Nam  
quantum ad jura Scotorum attinet, eas certe leges,  
quæ prædiorum possessiones concernunt, J A C O-  
B U S I Rex Scottiæ, qui in Anglia altus atque edu-  
catus fuit, prudenter sanxit, quas adeo ecquid mi-  
rum, ab Anglicis solis sæpe formulis differre? Jus  
vero Civile, cuius usum J A C O B U S V, e Gallia  
redux, in Scotiam invexit, ut illic, ita in Anglia,  
tum demum obtainere novimus, ubi cessaverit Mu-  
nicipale. Atque huic quoque, quod Municipale,  
vocamus, utriusque gentis genio attemperando spes  
est operam haud vanam collocaturos olim Juris An-  
glici ac Scotici peritos, ubi familiarius inter utram-  
que gentem commercium fuerit stabilitum. Quan-  
quam, quid opus est iisdem legibus uti, qui aliis in  
rebus omnibus prorsus & omnino consentiunt? An-  
non

margib

non & Insularum Normannico littori adjacentium, Cæsariæ nimirum, Sarniæ atque Euboniæ, incolæ Normannico jure utuntur, spretis Anglorum legibus, quorum nihilominus in civitatem admissi pri-dem sunt? Ceterum vero jura omnia, quæ Regem & Rempublicam in universum concernunt, ita coæquata sunt, ut eadem nunc Anglorum Scotorumque conditio, eadem forma regiminis, idem denique dignitatis & existimationis gradus sit, ut, taceam, has Gentes, quantum ad exactiones & onera, quæ tamen pro tanta animorum erga R E G I N A M promptitudine vix onera appellaveris, pari lege vivere. Sed operæ pretium est, ut unionis, de qua hactenus dictum fuit, emolumenta, quæ vel Angli, vel Scotti promittere inde sibi possint, paucis exponamus. Si historiam evolvamus præ-teriti temporis, magna sæpe & cruenta bella inveniems inter socios populos fuisse mota, antequam communi civitatis jure sibi invicem obstringerentur. Quid ex unione Romanorum atque Latinorum? nonne Bellum illud Sociale acerrimum, atque perniciosissimum coortum est, quo etsi Romani Latinos demum superaverint, eos tamen civitate donandos atque ita æterno quodam vin-

E

culo

314

culo devinciendos censuerunt? Idem fere de Spartanorum & incolarum Peloponnesi, de Castellano-  
rum & Arragonum, Florentinorum item & Pisano-  
rum foederibus dicendum est, quæ tam diu fal-  
lacia fuere & incerta, quam diu jura civitatis haut  
accesserunt. Ecquid vero hodie tot Regna, Le-  
gionem, Castiliam, Valentiam, Asturiam, An-  
dalusiam, Granadam aliaque tam firmiter inter se  
continet? Nimirum & eodem Hispaniæ nomine  
comprehenduntur, & eodem etiam fruuntur jure  
civitatis. Jam ut ad Angliam Scotiamque deve-  
niamus, quis ignorat, quantum virium acreverit  
Angliæ unica Cambriæ accessione? Quanto au-  
tem sive Anglia, sive Scotia, quam Cambria, major  
ampliorque, tanto majora nemo non expectat,  
commoda, postquam Scotia cum Anglia ita coa-  
luit, ut nulla temporum iniuitate, nulla arte, do-  
love divelli olim a se invicem Regna hæc posse cre-  
dantur. Potentissima sive Anglia est, patentissi-  
ma, opulentissima, quæ sola antehac Scottis Gallis-  
que, perpetuo fere foedere unitis, non tam par fuit,  
quam superior. Scoti, bellis, laboribus assueti, etsi  
inferiores opibus essent Anglis, libertatem tamen  
amiserunt nunquam, nunquam prorsus debellati  
aut

E

cujo

aut subacti sunt. Nunc ubi hæc tanta Regna in unum conjuncta sunt, quæ, vasto pelago velut munito quodam fortissimo circumdata, internos hostes nullos, nedium externos, metuunt, crescat in immensum utriusque gentis potentia, crescat felicitas, ut inter vere fortunatas Insulas primum habitura locum Britannia videatur. Et, si nihil aliud, hoc certe ex unione ista lucratur imprimis Anglia, quod ab omni metu belli Scotici liberata est, quod procul dubio Anglis imminebat, si **A N N A M**, quæ utinam æternum viveret! ad superos abire contigisset, nullo a Scotis constituto successore. Proh DEUM immortalem! quantam rerum omnium conversionem futuram fuisse creditis, Auditores, nisi mature his rebus prospexit REGINA? Nam si hæreditaria Scotiæ Regum stirps, e qua inde a FERGUSIO (quæ rara est Principum felicitas) non interrupto ordine Reges hactenus & Reginæ centum supra tredecim prodiere, in Anglia defecisset, periculum non vanum erat, Scotos ea occasione ab Anglis iterum secessuros, & Gallorum, quibus Scotiæ Reges hæreditario quondam foedere sociati fuere, amicitia nixos, suos Reges habituros. Hinc jurgia, hinc bella,

cæ-

cædesque metuebantur; quem quidem metum iustissimum providentia Numinis & studium optimæ REGINÆ longissime ab Anglis propulsavit. Neque tamen putandum est, minora aut pauciora commoda ad Scotos redundare. Nam ut plura alia prætermittam, quæ privatæ fortis homines lucrantur, ingens certe ex unione ista incrementum capiunt commercia Scotorum. Quod enim nunquam antehac licuit huic Genti, libere nunc Anglorum in India Orientali & Occidentali colonias frequentat, navesque non minus importandis, quam exportandis mercibus exstruit, & rebus alieno sanguine partis utitur, ut suis. In Angliam vero, quotiescumque lubet, non professas merces inferre & efferre, cunctis jam sublatis vectigalibus, Scotti possunt. Qua in re novum licet & præclarum munificentiae in augustissima REGINA exemplum animadverte-re, quæ excelso animo propria spernens commoda, Regium ærarium pulcherrima accessione privavit, ut civibus suis, quibus se unice consecravit, quam optime consuleret. Nec his solum, verum, & Europæ tantum non universæ bene consultum est. Ecquis enim non videt, quam sint prævalidæ Hostium vires, quanta ambitio, quippe qui ceteras

ras gentes longe despicientes, universæ Europæ se brevi gloriantur dominaturos. TAT hi eo maxime res suas promovent, quod jaciendis discordiarum seminibus, rescindendisque fœderibus mire apti sunt, quandoquidem Machiavellicum illud: DIVIDE ET  
IMPERA, non tam animo etiam atque etiam perpendunt, quam re ipsa observant. Atque ausim, ego affirmare, tot luculentissimis victoriis, quas de Gallis in Germania, Italia, Hispania, Catalaunia, Gal lia denique ipsa deportarunt Fœderati, nequaquam tantum damni illatum Franciæ fuisse, quantum hac una Angliæ Scotiæque coniunctione, qua demum consummata, frustra audent, quicquid audent, Galli. Plura dicturus eram, nisi præsentia Illusterrimorum & Gravissimorum Virorum, quos submissa animi devotione veneror, brevitatem suaderet, & silentium mihi quodammodo imperaret. Quamobrem non morabor Vos diutius, Auditores honoratissimi, qui multo rectiora animo concipitis ipsi, quam ego, tantarum rerum expers, verbis satis aptis pronuntiare valeam. Hoc addo, quod nemo nostrum animo non repetit ac iterat: VIVAT INCOMPARABILIS ANNA, FRUATURQUE BONIS, QUÆ SIBI IPSA PEPPERIT, ET NUNQUAM POSTHAC EXPERIA-

ЯАР

F

RIA-

22 ORATIO DE UNIONE ANGL. ET SCOT.

RIATUR FORTUNÆ MOBILITATEM! VIVAT SERENISSIMUS ET CELSISSIMUS DANIÆ PRINCEPS, GEORGIUS, NON TACENDUM SAXONIBUS NOMEN, GAUDEAT DIU SANCTISSIMO MAGNÆ CONJUGIS AMORE, QUÆQUE E JUS AUSPICIIS TERRA MARIQUE GERUNTUR, SECUNDA OMNIA EVENIANT! DENIQUE FLOREAT MAGNA BRITANNIA, AC NUNQUAM CEDAT EXTERNIS HOSTIBUS, NUNQUAM A SE IPSA DISSIDEAT!

D I X I.



E

PAR

## ODA II.



*Idus augustum populi Britanni,  
Regibus Numen tumidis tremendum,  
Mater Europæ veneranda, salve,*

*ANNA BRITANNA!*

*Quis Tuum nomen, meritasque laudes,  
Perque terrarum sola vasta dudum  
Facta diffuse celebrata, digno  
Carmine laudet?*

*Luget, en! fusas toties cohortes,  
Deflet ereptas, duce Te, tot arces,  
Jamque prolatum proprias in urbes  
Gallia bellum.*


*Fortis ad nutum dominantis ANNÆ  
Ecce! fastidit peregrina Regna,  
Et lubens collum CAROLO potenti  
Subdit Iberus.*

*Quid? quod excelsis animo viris, &  
Regibus summis toties negatum,  
Tentat ac ausu peragit virili  
ANNA Virago.*

*Corda ad æternum generosa fœdus  
Sorte felici coeunt Britannum,  
Atque nunc unam faciunt sub uno  
Nomine gentem.*

*Excipit lætis animis sororem  
Anglia & plausu; Thamesis sonorus  
Ridet, & carmen saliunt sequutæ  
Orcades omnes.*

Omnis exsultat merito, & suarum  
Vindici rerum bene dicit ANNÆ,  
Quod tot augustos celebret triumphos  
Teutona terra.



Ister, excelsō stupefactus olim  
Nomine & factis DOMINÆ BRITANNÆ,  
Hoc novum fœdus stupet & remotum  
Spargit in orbem.

Arduæ gaudent Heliconis arces,  
Plaudit argutæ fidicen Thaliæ,  
Gestiunt læte Charitum novena  
Turba sororum,

Atque conjunctis celebrare tentant  
Vocibus NUMEN dominans Britannis,  
Ad chelyn doctam socio canentes  
Agmine vota:

Inclytum æterno juvenescat ævo  
Nomen hoc ANNÆ, jubar usque Solis,  
Dum vagæ fundet radiata terræ  
Lumina flammis!

Hoc & extollant, mare qua remotis  
Obstrepit terris, paveantque Reges  
Et colant gentes sub utroque mundi  
Axe jacentes!

Vive, conjuctos populos sub uno  
Nomine augustis moderare fatis,  
Ac gravi felix supera senectæ,  
ANNA BRITANNA!



Hist. Britan̄. B167

